

2) Dum hic quaerimus de distinctione sensuum, respicere debemus non ad sensibilia communia quae nihil specificarent, sed ad sensibilia propria.

3) S. Thom. 1 p. q. 78. a. 3. rectum tradit principium secundum quod numerus sensuum externorum inquiratur, et statuit quinque esse sensus. — Recentiores multum disputarunt: alii omnia ad solum tactum reducunt, alii ad visum, auditum, tactum, alii aliter.

**Prob. 1°** Tot sunt sensus externi quot sunt genera modorum, inter se coordinatorum, reagendi vitaliter in objecta externa cognoscenda; *a.* quinque sunt talia genera; *e.*

*Ad maj.* Potentiae (=sensus externi) inter se distinguuntur secundum suos actus (et genera coordinata objectorum formalium); *a.* actus illi sunt reactiones vitales secundum species impressas, in objecta cognoscenda; *e.*

*Ad min.* Teste conscientia: *a)* videndo, audiendo, gustando, olfaciendo, tangendo, diversimode nobis repraesentamus objecta, — *b)* hi quinque modi repraesentationis ita sunt diversi, ut una non possit haberi tanquam species subordinata alterius, nec tanquam gradus intensior vel remissior alterius; — *c)* praeter hos quinque modos nullus alius est qui immediate ex actione objecti sensibilis in nostrum organismum oriatur; seu qui correspondeat speciei impressae alius generis.

**Prob. 2°** Tot sunt sensus externi quot sunt genera organorum dissimiliter constructorum ad impressiones sensiles extrinsecus in organismum nostrum primum recipiendas; *a.* genera talium organorum sunt quinque (testibus anatomia et physiologia); *e.*

*Ad maj.* Objecta sensibilia nequeunt facultates sensitivas afficere, nisi immutando organa; *a.* organa sunt media apta proportionem constructa ad species impressas facultatibus requisitas efficiendas; *e.* qualia organa, tales species impressae, et tales facultates illas recepturae.

**Objic. 1°** Potentiae specificantur per actus et objecta; *a.* sensuum objecta sunt accidentia, quorum multa sunt genera; *e.* — R. *c. maj.* — *d. min. 1 part.* accidentia quaecumque. *n;* sensibilia propria..., *c.* — *c. d. min. 2 part.*

**Objic. 2°** Praeter quinque datos sensus agnoscendus est sensus temperaturae; nam: calor et frigus sunt objectum sensus, et quidem proprium unius sensus, non commune pluribus; *a.* proprium objectum tactus est durum et molle, seu resistens, quocum confundi nequit calor et frigus; *e.* (idem arguendum de siccitate et humiditate, ac fluiditate). — R. *n. ass.* — *ad prob. tr. maj.* — *d. min. 1 part.* proprium objectum tactus est impenetrabilitas, prout occasione alicujus vis motricis, ejus activitas manifestatur, organum afficiendo in motu locali, *c;* secus, *n;* — *d. min. 2 part.* cum objecto hoc proprio, i. e. impenetrabilitate, confundi non possunt calidum et frigidum, durum et molle, leve et asperum, siccum, humidum et fluidum, quoad suam essentiam, *c;* quoad suam mechanicam manifestationem et activam impressionem in organum tactus, *n.* (calidum et frigidum mechanicis motibus vibratoriiis, cetera variis modis resistentiae et inertiae suam impenetrabilitatem manifestant...).

**Objic. 3°** Eodem modo dici potest colorem et sonum mechanicis motibus undulationum manifestare corporis impenetrabilitatem; *e.* visus et auditus etiam ad tactum sunt reducendi. — R. *d. ant.* interveniunt motus mechanici undulantis medii, sed manifestantes meram impenetrabilitatem variis modis, ita ut in eam intentionaliter reagat potentia, *n;* materialiter immutantes organum ita ut in colorem et sonum proportionatum reagat potentia ad hoc disposita, secundum speciem impressam propriam, *c;* — *d. cons.* si merum medium mechanicum ad impressionem materialem in organo producendam inspicias, *c;* si speciem impressam vitalem, et reactionem sensilem per speciem expressam, et objectum formaliter repraesentatum inspicias, *n.*

**Objic. 4°** Sapor et odor manifestantur per combinationem chemicam affluentium substantiarum, cum substantiis sensorio excretis; et percipiuntur ob contactum organi cum his combinationibus; *e.* gustus et odoratus reducendi sunt ad tactum. — R. 1) *d. ant. 1 part.* manifestantur per combinationem..., tanquam per medium transferens actionem mechanicam in sensorium, *c;* tanquam per medium in quo cognito, *n.* — *d. 2 part.* percipiuntur ob contactum tanquam ob conditionem requisitam, *c;* tanquam ob identitatem saporis, odoris cum impenetrabilitate percipienda immediate, *n.* — R. 2) *n. ant. donec prob.* (fieri actionem aliquam, evidens est; sed hanc actionem esse semper chemicam combinationem, neque evidens est, neque experimento probatum; imo in odore aliquas a corpore fragrante particulas dividi, quae ad organum nostrum transvehantur, affirmatur quidem theoretice ab atomistis, sed nullo experimento stabiliri potuit).

**Objic. 5°** Sed eadem explicatio retorqueri potest circa calorem, frigus...; scilicet sicut color, sonus, motibus mechanicis manifestati, sensum percipientem specificant, ita et calor, frigus. — R. *n. par.* (in colore et sono motus mechanicus est tantum medium materialiter transvehens actionem objecti; at species impressa repraesentat rem non ut motam, nec ut immediate sensui praesentem, sed ut coloratam, sonoram; et in eam ut talem reagit potentia specie expressa; — in calore, frigore vero actio objecti est resistentia impenetrabilitatis; motus mechanicus est modificatio resistentiae; species impressa rem repraesentat ut immediate sensui praesentem et certo aliquo modo resistentem, impenetrabilem; — qui modus resistentiae gratus sit an dolorem cieat, hoc jam non sensus externus sed sensus intimus percipit).

### Propositio 36.

**Tactus et visus sunt sensus maxime discretivi objecti a subjecto, reliqui sensus externi sunt potius mere experimentales.**

**Notiones. Discretivi:** i. e. per quos sentiens discernat objectum externum esse distinctum a subjecto sentiente, et in alio loco positum.

**Mere experimentales:** i. e. per quos objectum externum cognoscitur qui-

dem; sed non ejus natura, vel ejus distinctio a subjecto sentiente, vel ejus localis positio extra ipsum sentiens clare cognoscitur.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (tactus).** Sentiens per tactum experitur rem impenetrabilem sibi resistentem; *a.* res impenetrabilis resistens ita se offert ut distinctam ab ipso sentiente cui resistat; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (visus).** Sentiens per visum experitur rem coloratam aliquantam, i. e. extensam; *a.* hanc rem extensam percipit ut a se ipso distinctam et extra se positam; *e.*

*Ad maj.* Punctum vel linea mathematica non possent esse colorata, sed solae superficies et solida; *e.* quidquid apparet ut coloratum, ipso facto apparet ut aliquantum extensum.

*Ad min.* Extensum, praesertim accedente motu locali, apparet ut aliquid quod non ipse sibi sentiens est, sed in quod tendat actione sua cognitiva et locomotiva; *e.*

**Prob. 3<sup>a</sup> pars (reliqui sensus).** Omnes sensus immediate objecta sua percipiunt; *a.* sapes, odores, soni, qua tales, non habent unde appareant ut distincti et extrapositioni subjecto; *e.*

*Ad min.* Nullam exhibent resistentiam impenetrabilitatis, nec quantitatem extensionis et motus; *a.* non aliter immediate discerni potest distinctio et extrapositioni (mediate quidem, i. e. post comparisonem et educationem!); *e.*

**Objic. 1<sup>o</sup>** Tangens seipsum resistentiam experitur; *a.* nulla est distinctio et extrapositioni; *e.* — *R. d. maj.* resistentiam in una sui parte, *n;* in utraque sui parte, *c;* — *d. min.* nulla distinctio subjecti i. e. suppositi, *c;* partis tangentis et partis tactae, *n.*

**Objic. 2<sup>o</sup>** Caecus a nativitate adolescens, a medico Chezelden, Anglo, sanatus, testatus est se objecta percipere oculis adhaerentia, praegrandia, illimitata, confusa; donec ope tactus coloribus extensionem et locum et subjecta tribuere didicit; *e.* — *R. tr. tot.* — *n. cons.* — *N. B.* *a)* ex pathologia ad physiologiam non valet conclusio; — *b)* qui nunquam viderat, ideas ex visu haustas non habebat, neque ipse sua verba eo sensu intelligebat quo alii homines; — *c)* ad summum sequeretur, oculos subito illuminatos nondum apte et perfecte statim percipere, sed aliquo exercitio perfici; non tamen sequeretur hoc exercitium necessario a solo tactu esse petendum; — *d)* videbat objecta ut oculo adhaerentia, ergo ea cum ipso oculo non confundebat!

### Propositio 37.

**Sensatio externa perficitur non in cerebro sed in propriis singulorum sensuum organis.**

**Stat. quaest.** 1) Dicunt recentiores physiologi plerique in solo cerebro fieri activam cognitionem vitalem; in externis organis fieri solam passivam impressionem materialem quae per nervos ad encephalum transmittatur.

2) Nos non negamus: *a)* sensum internum etiam accedere; — *b)* organi

externi cum cerebro conjunctionem requiri; — *c)* sensus interni influxum esse necessarium ut attentus sensus externus in speciem impressam reagat; — *d)* cerebrum etiam active aliquomodo intervenire ad sensationem externam perficiendam; — sed negamus cerebrum solum perficere eam, ita ut ipsum sit totum organum sensationis activum, sensoria vero externa sicut passiva tantum impressionis, et quasi praevia conditio, via strata impressionibus ad cerebrum.

3) Dicimus ergo: *a)* existere quidem sensationem in cerebro, et in nervis conjunctoriis, at *b)* non ibi solum, sed etiam in organis propriis externis, imo *c)* in istis proprie perfici seu consummari sensationem, tanquam in organis activis.

4) Hinc concludendum: organum externum (praesertim quae bina sunt; oculos, aures, nares) una cum nervis et cerebro efficere unum organum completum, cujus partes externae sensationem efficiant et compleant.

**Prob.** Si in cerebro perficeretur sensatio externa: 1) actus sensationis non terminaretur ad objectum externum, sed proxime ad organum; 2) haberetur non unum objectum, sed duplex; *a.* haec sunt contra evidentem experientiam immediatam; *e.*

*Ad maj.* Organum et ejus affectio materialis est aliquod intermedium inter encephalum et rem externam; *e.* ex encephalo attingeretur primo et immediate organum externum, ejusque affectio, et in eo cognito attingeretur secundo et mediate objectum externum.

**Objic. 1<sup>o</sup>** Sensatio sine anima fieri nequit; *a.* anima utpote simplex nequit esse nisi in puncto, scilicet in cerebro. — *R. a) d. maj.* sine anima simplici, *n;* sine anima sensitiva, *c.* (cfr. infra). — *R. b) c. maj.* — *n. min.* (confundit simplicitatem quantitativam: punctum, cum simplicitate entitativa: compositionis ex partibus negatione).

**Objic. 2<sup>o</sup>** Teste physiologia, omnes organorum nervi in cerebro quasi in centro unitatis concurrunt; *a.* hujus structurae alia ratio reddi nequit, nisi quod organa materialem impressionem in cerebrum transmittant, ubi vitalis reactio et sensatio fiat; *e.* — *R. c. maj.* — *d. min.* ubi reactio fiat tota et sensatio perfecta sit, *n;* unde reactio incipiat, et ad organa externa propagetur, in quibus perficiatur, et sit sensatio formaliter expressa, *c.*

**Objic. 3<sup>o</sup>** Teste experientia: *a)* si nervi illi ductores abscinduntur vel ligantur, — *b)* si integris manentibus nervis, aufertur cerebrum, vel cerebri hemisphaerae, — *c)* si omnibus integris manentibus, digitus vel leviter admoventur corpori calloso cerebri: — statim aboletur omnis sensatio externa; *e.* — *R. c. ant.* — *d. cons.* conjunctio libera nervorum cum cerebro requiritur tanquam conditio sine qua non; imo influxus cerebri reagentis requiritur forsitan tanquam vera causa influens, *c;* nihil reactionis vitalis fit nisi in cerebro, ibique tota sensatio externa, ut sic, est perfecta, *n.*

**Objic. 4<sup>o</sup>** In omni sententia tamen admittenda est communicatio ad cerebrum, et ejus vitalis reactio; *a.* entia non sunt multiplicanda sine neces-

sitate; *e.* non alia est admittenda reactio seu sensatio in organo externo. — *R. c. maj.* — *c. min.* — *n. cons. et ejus supp.* (nullam aliam dari necessitatem, nempe explicandae experientiae immediatae quotidianae sensationis in organo, et unitatis objecti cogniti).

**Objic. 5°** Si nervus ab oculo ad cerebrum ducens abscinditur, ipso momento abscissionis videtur lumen quasi igneus coruscus; si nervus ab aure ducens abscinditur, auditur sonus quasi tonitrus fragor; *a.* hoc ostendit in cerebro sentiri nervi commotionem dum abscinditur; *e.* — *R. 1) c. maj.* — *d. min.* sentiri nervi commotionem, *n;* sentiri objectum (lumen, sonum) ob nervi commotionem, *sd.* sentiri in cerebro ad quod porrigebatur nervus, *n;* sentiri in organo externo ad quod etiam porrigebatur nervus, cujus commotione mechanica suppletur influxus cerebri reagentis, *c.* — *R. 2) d. maj.* habetur aliqua subita, confusa, imperfecta perceptio quasi corusci vel tonitrus, quam tamen ipse sentiens minime refert ad ordinem sibi extrinsecum, *c;* perfecta clara perceptio qualis est in organo sano circa objectum externum, *n.*

**Objic. 6°** In membro jam diu amputato experimur varias sensationes; *a.* hoc ita solum explicari potest, ut in cerebro sensatio fiat secundum nervi, etsi non integri, excitationem; *e.* — *R. c. maj.* — *d. min.* solum ita ut in cerebro fiat sensatio sensus externi, *n;* sensatio sensus intimi qualis fuisset facta ob excitationem nervi in sensatione externa correspondente, *c.* (sensu intimo percipitur dolor subjectivus qualis fuisset si manu tetigisses rem frigidam, etc.).

**Objic. 7°** Si coram duobus oculis duo colores varii opponuntur disjunctim, videtur unus color tertius ille qui est ex iis duobus compositus; *a.* hoc non explicatur si visio residet in oculis, sed solum si in cerebro, quo conveniunt duae partiales impressiones; *e.* — *R. c. maj.* — *d. min. 1 part.* si in solis oculis residet, ita ut sint duo oculi totalia duo organa, *c;* si in oculis perficitur, ita tamen ut simul etiam in nervo et cerebro resideat, tanquam in uno organo integro, composito ex oculis, nervis, cerebro, veluti uno arcu continuo, *n.* (scilicet in singulis oculis, organis incompletis, imprimitur diversa species; sed haec propagatur per totum organum completum; atque ita in utroque organo extremo efficitur una species expressa temperata ex duabus. — Idem dicendum de stereoscopio et similibus).

**Schol.** *Quid et quomodo propagetur per nervos ab organo ad cerebrum, et a cerebro ad organum externum.* — *R. 1)* nihil certi scimus. — *R. 2)* ab organo ad cerebrum: *a)* alii dicunt nervos vibrare ut chordas; sed contra est quod nervi nec elastici nec tensi sunt, et saepe ganglionibus ac plexibus interrupti. — *b)* alii dicunt fluidum electricum vel magneticum transmitti; sed contra est quod tale fluidum esset maxime mutabile, sensationes vero valde constantes et uniformes sunt; et quod in quo consisteret fluidum hoc nemo scit. — *c)* alii dicunt fluidum nerveum transmitti; sed contra est quod fluidum illud quid sit, et quomodo transmitti possit nemo novit.

*R. 3)* A cerebro ad organum: antiqui cum Galleno dicunt subministrari

spiritus animales quibus fiant organa actu attenda ad excitationem et eam vitaliter recipiant ita ut sit species impressa, atque in hanc reagant specie expressa; sed contra est quod spiritus illi animales quid sint et quomodo transmittantur nescimus.

*R. 4)* Quidquid ergo de his sit, *a)* certum est aliquid transmitti; — *b)* prope certum est non materiam aliquam transmitti, neque merum motum localem undulatorium, vibratorium; — *c)* probabile videtur in sensatione quavis, qualitatem sui cujusque generis, organo, nervis, cerebro inhaerentem, propagari; cujus qualitatis effectus formalis sit excitatio attentionis vitalis, seu potentiae vitalis sensitivae, et determinatio objectiva actionis.

### § 3. DE SENSU INTERNO.

#### Propositio 38.

**Praeter sensus externos proprios est in animalibus sensus internus communis.**

**Notiones.** 1) Sensus de quibus hucusque sermo fuit, erant *externi*, i. e. in organis externis distinctis; et *proprii*, i. e. circa objecta sensibilia propria cujusque distincta. — His oppositum affirmamus sensum qui sit *internus*, i. e. in organo interno unico; et *communis*, i. e. circa objecta sensibilia omnium exteriorum sensuum simul.

2) Duplex est igitur munus sensus communis interni:

*a)* ut sit *communis radix* ex qua diffundatur actualis vis sentiendi in quinque sensus externos; et simul sit *communis terminus* ad quem referantur sensuum exteriorum sensationes.

*b)* ut sit *commune discretorium* quo discernantur varia sensibilia propria sensibus externis de eodem subjecto percepta, v. c. viride, sapidum, calidum; et simul sit *commune consociatorium* quo consociantur haec sensibilia propria et simul uni subjecto tribuantur.

3) Evidenter nullo modo confundi potest quem nunc dicimus *sensum communem internum* cum illo quem in logica diximus *sensum naturae communem*, i. e. rectam rationem intellectualem circa veritates obvias vitaeque necessarias agentem.

**Prob.** Animalia percipiunt sensibilia propria sensuum exteriorum ita ut ea inter se discernant simul et consocient, ac per modum unius objecto uni tribuant; *a.* hoc factum necessario supponit sensum internum communem; *e.*

*Ad maj. 1)* *A priori* necessarium est ut animalibus a natura sint comparata media ad noxia sibi declinanda, necessaria et utilia sibi providenda; *a.* tale medium haberi nequit in animantibus nisi percipiant, discernendo et consociando varia sensibilia propria; *e.*

2) *A posteriori* constat experientia, motibus spontaneis animalium, distingui

et consociari varias in eis sensationes, unde appetatur ut sapidum pratum viride, fuga arripiatur ad dextram ubi leo rugiens auditur a sinistra, etc.

*Ad min.* Singuli sensus externi nonnisi singula sua propria objecta percipiunt; ea vero in unum sociare ad actionem et appetitum dirigendum non potest nisi unus sensus qui ea simul percipiat et comparet inter se; *e.*

**Objic. 1°** Sensus datur ad cognoscendum sensibile; *a.* ad omnia sensibilia cognoscenda sufficiunt sensus externi; *e.* — *R. c. maj.* — *d. min.* ad omnia distributive, *tr;* collective cognoscenda, *n.*

**Objic. 2°** Potentiae specificantur per actus et objecta; *a.* per actus et objecta ostenduntur quinque sensus externi, et aliud objectum praeterea nullum est quod sit alii sensui reservatum; *e.* — *R. d. maj.* et objecta sua formalia, *c;* secus, *n;* — *c. min. 1 part.* — *d. min. 2 part.* nullum aliud materialiter sumptum, *c;* formaliter, *n.* (objecta formalia sensuum externorum sunt sensibilia specialia, ut visibilia, ut audibilia, etc; sensus interni est sensibile genericum, ut sic, et collective percipiendum).

**Schol.** De speciebus impressis in sensu interno :

*R. 1)* Admittendae sunt, nam objectum non est per seipsum conjunctum.

*2)* De earum natura variae sunt sententiae : *a)* esse omnino novas, produci autem vel ab actu sensus externi, vel a sensu interno agente; — *b)* esse easdem quae fuerunt in sensu externo, sed modificatas, nam objectum sensus interni est objectum externum, sed ut perceptum a sensibus externis; sunt igitur species impressae sensuum externorum, transmissae in unum sensum internum, sed compositae in unam resultantem.

*3)* Sensus internus perfectior est sensibus externis; *e.* accipit species perfectiori modo; hinc potest aliquid in objecto percipere quod non sensus externus, v. c. unitatem objectivam notarum.

### Propositio 39.

Sensus internus communis suum habet organum, quod est commune sensorium, videturque esse systema cerebro spinale; et ipsa facultas organica est.

**Notiones.** *Commune sensorium*, i. e. organum aliqua necessitudine cum omnibus externorum sensuum sensoriis conjunctum.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*organum habet*). Objectum sensus interni materiale concretum est; *a.* objecti materialis concreti influxus et species impressa oriri nequit, nisi habeatur organum aliquod materiale, in quo imprimatur actio objecti; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*est commune sensorium*). Objectum sensus interni communis sunt objecta propria sensuum externorum comparanda, discernenda, consocianda; *a.* tale objectum attingi nequit nisi 1) variae species sensibilibus propriorum in unum sensorium coeant componendae, et 2) nisi hoc sensorium unum sit cum singulis sensoriis externis conjunctum et communicans; *e.*

**Prob. 3<sup>a</sup> pars** (*cerebro-spinale*). Hoc systema : 1) mediantibus nervis cum organis sensuum externorum conjungitur, et 2) teste experientia, si vel minimum laeditur vel impeditur, impedit usum sensus interni communis simul et sensuum externorum; *e.*

**Prob. 4<sup>a</sup> pars** (*est organica*). Haec facultas : 1) habet objectum formale suum quod totum quantum materiale est, — 2) ipsa non aliter exerceri potest, teste experientia, quam per suum organum materiale; *e.*

**Objic. 1°** Haec diversorum sensibilibus discretio et consociatio fieri nequit sine aliquo iudicio; *a.* iudicium est operatio intellectus, non facultatis organicae; *e.* — *R. d. maj.* iudicio, i. e. operatione qua per compositionem vel divisionem idearum, percipiatur vel affirmetur earum identitas aut repugnancia, *n;* qua sensibilibus percipiuntur unita vel discreta, quae sensibilibus unita sunt vel discreta sunt; *c.* — *c. d. min.*

**Objic. 2°** Sensibilia in sensibus externis disjuncta et dispersa, nequeunt in unum objectum conjungi, nisi mens abstrahens formas horum sensibilibus a subjecto cui insunt, videat hoc subjectum esse in omnibus unum identicum; *e.* — *R. n. ant.* (conjunguntur in unum in sensu quia concrete conjuncta in unum apparent sensibilibus).

### § 4. DE SENSU INTIMO.

#### Propositio 40.

Est in animalibus sensus intimus, principaliter vigens in cerebro ubi non distinguitur a sensu communi; instrumentaliter vero vigens in ceteris partibus systematis nervi, ubi a sensibus externis realiter distinguitur.

**Notiones.** *Sensus intimus* est facultas cognoscendi proprias animalis actiones et affectiones sensitivas, dum actu habentur.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*est sensus intimus*). 1° Plurimae sunt actiones brutorum, quibus testantur se proprias operationes sensitivas, et affectiones percipere; *e.*

*Ad ant. 1. (proprias operationes).* v. c. oculos ad objectum convertunt, magis aperiunt ac fixos tenent; aures ad sonitum arrigunt; nares ad odorem regunt et quasi acuunt, etc; *e.* percipiunt suam visionem, auditionem, olfactionem, etc;

*Ad 2. (proprias affectiones).* si vapulant, irascuntur vel fugiunt et plorant; si esuriunt, ejulant, mendicant; *e.* percipiunt suas plagas, famem, etc.

**Prob. 2°** Nisi bruta perciperent internas affectiones gratas vel ingratas a rebus perceptis productas, non possent per appetitum ferri in res ut convenientes vel repugnantes; *a.* ita non esset a natura necessariis animalium provisum; *e.*

*Ad maj.* Ignoti nulla cupido; *a.* cupido sensibilis non est nisi sub ratione grati vel ingrati, i. e. boni sensibilibus delectabilis; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*principaliter in cerebro, instrumentaliter in ceteris*). Sensus intimus toti systemati nerveo est inhaerens; *a.* in hoc systemate pars principaliter requisita (ad ipsam sensationis existentiam) est cerebrum; pars secundo, instrumentaliter requisita (ad sensationis localisationem et excitationem) est reliquum systema; *e.*

*Ad maj.* Teste ipso sensu intimo ita cognoscimus nostras affectiones sensibiles, ut sentiamus nos ipsos affici per ipsas; *a.* hoc esset impossibile si affectiones non per seipsas sed per species vicarias cognosceremus; *e.* hae affectiones (potentiae objectum) sunt in ipsa potentia, ac proin e converso ibi est ipsa potentia (sensus intimus) ubi existunt affectiones, i. e. in toto systemate nerveo.

*Ad min. 1 part. (pars principalis).* Cerebrum, si adest, centrum solum est in quo colliguntur omnes nervi et consociari possunt omnes subjecti affectiones; si deest, vel laeditur, sensatio nulla habetur; *e.*

*Ad 2 part. (pars instrumentalis).* Ceteri nervi, si adsunt, affectiones suas particulares in cerebrum colligendas transmittunt, sed in seipsis eas non colligunt in unum, nec proin sensus intimi cognitionem perficiunt; si desunt vel laeduntur, affectionum sibi correspondentium cognitionem impediunt; *e.*

**Prob. 3<sup>a</sup> pars** (*in cerebro non differt a sensu communi*). Teste ipso sensu intimo, in eo fit reductio in unitatem (per discretionem et consociationem) non solum sensibilibus internorum, sed et externorum, et ipsius subjecti percipientis; *a.* sic in objectis sensus intimi includitur objectum sensus interni communis; et aliunde ipsum etiam organum est idem; *e.* et ipse sensus est idem.

**Prob. 4<sup>a</sup> pars** (*in ceteris differt a sensibus externis*). Sensus externi objectum est sensibile proprium externum non ut consociandum vel discernendum; sensus intimi, etiam instrumentalis, objectum est sensibile subjectivum internum, et in eo implicite tantum sensibile externum, sed ut consociandum in unitatem etiam cum ipso subjecto; *e.* sicut objecta, ita facultates realiter distinguuntur.

#### Propositio 41.

**Sensus intimus nequit haberi ut sensus fundamentalis Rosminianorum.**

**Stat. quaest.** 1) Ex praecedentibus patet a) sensum intimum pro objecto proprio habere ipsum compositum animale qua vitaliter sensitive modificationem, — b) hunc sensum intimum posse aliquomodo dici fundamentalem, nempe cui superstruantur omnes alii sensus circa res exteriores; nam appetitus sequitur cognitionem boni; *a.* cognitio boni supponit aliqualem saltem cognitionem proprii status interni (sicut ipsum bonum dicit aliquam convenientiam rei cum natura appetente).

2) Sed Rosmini, Tongiorgi, et pauci recentiores, statuunt sensum intimum aliquem: a) cujus objectum sit ipsum compositum animale, nude sumptum ut

sic, antecedenter ad modificationem suam, — b) qui sit fundamentalis, i. e. qui solus sit vera facultas, cujus merae modificationes sint ceteri sensus, eorumque sensationes externae et internae, — c) et vocatur sensus intimus vitalis, vel sensus intimus substantialis.

3) Iste sensus Rosminianus: a) est semper in actu secundo, ac durante conjunctione animae cum corpore repugnat ab actione interrumpi, — b) in eo consistit quod, durante unione, anima sentiat se ut unitam corpori, et corpus ut vivificatum a se; seu quod durante unione, compositum sentiat se ut compositum, — c) est independens a quacumque actione vel sensatione quae exerceatur circa objecta externa; — sed d) impossibile est quamlibet aliam rem sentire, nisi prius adfuerit ille sensus fundamentalis.

4) Hunc sensum nos dicimus neque confundi posse cum nostro sensu intimo, neque omnino existere.

**Prob.** Sensus fundamentalis Rosminianus neque a posteriori ostenditur; neque a priori probatur; *e.* gratis asseritur et admitti nequit.

*Ad ant. 1 part. (a posteriori).* a) Nemo per propriam experientiam sibi conscius est hujus suae perpetuae sensationis proprii conjuncti, nunquam interruptae, v. c. in altissimo somno!

b) Nemo in seipso, vel in aliis hominibus, vel in brutis, facta observavit quorum explicatio ex hac sensatione foret necessario repetenda.

*Ad ant. 2 part. (a priori).* Cfr. object.

**Objic. 1<sup>o</sup>** Nisi prius seipsum compositum perciperet quam modificationes suas, non posset agnoscere modificationem quam percipit inhaerere in seipso tanquam in subjecto; *e.* — R. *n. ant.* — *et n. supp.* (percipi modificationem abstractam a subjecto, cui debeat deinde tribui; nam percipitur concrete modificatio ut subjecti, seu subjectum modificatum).

**Objic. 2<sup>o</sup>** Ibi nequit non haberi sensatio, ubi a) objectum est sufficienter conjunctum cum potentia, b) et potentia est sufficiens et apta ad hoc objectum percipiendum; *a.* ita est, ante omnem affectionem subjecti; *e.* — R. *c. maj.* — *c. min. 1 part.* — *n. 2 part.* (*vel d.* est apta ad hoc objectum in suis affectionibus percipiendum, *c.* in sua substantia, *n.*)

#### § 5. DE PHANTASIA.

#### Propositio 42.

**Est in animalibus phantasia, quae est facultas organica. cujus organum videtur esse cerebrum.**

**Notiones.** 1) *Phantasia* est facultas formandi sibi per repraesentationem imagines quasdam, sive objectorum sensibilibus antea perceptorum, sive aliorum quae ex habitis sensationibus sibi fingat.

2) *Munera* igitur phantasiae sunt: